VINCENTII BLASII GARCIAE VALENTINI AD ILLUSTR. ET REUER. S.R.E. CARDINALES, …

Vincente Blas Garcia

Digitized by Google

AD ILLVSTR. ET EXCELL. D. D. ANTONIVM DE CORDVBA, ET CARDONA, DVCEM SVESSAE, & Sommæ, Regis Catholici a conſilio, & eiuſdem apud ſummum Pontificem Legatum, Præfatio.

DVM oratores lectiſsimi, & legati, ex toto nobilitatis ſuæ flore, magna cura, & ſtudio, conquiſiti, Clemẽti octauo, ad celſiſsimam in terris dignitatem diuinitus elato, gratulantur; dum Regum ſuorum, ac Principum nomine, obſequium eidem, & obedientiam, de more, præſtant; ego, non indignum aliquid ſtudioſorum auribus in Academia Romana, initio oratoriæ meæ profeſsionis, editurus, libentiſsime feci, vt Deo gratias agerẽ, cuius perpetua in Rempub. chriſtianam benignitas opportunam eloquentibus illis, ac nobilibus viris occaſionem attulit gratulandi. Quod enim officium, leue fortaſſe, pium certe, & ab inſigni reuerentia profectum, Gregorio X I V. in Baſilica beati Petri, ſanctiſsimo loco, Pontifici ſanctiſsimo, præſtiti, id ipſum Clementi VIII. diuini, humaniq. iuris peritiſsimo, atque ſapientiſsimo, in ſapientiæ ſtudijs dicato domicilio, & deberi iam diu a me, & omnino perſoluendum putaui. Beatiſsimus etiam Pater, rei litterariæ, qua poſsit, ratione cõſulturus, voluit, me, quidquid ingenio, quidquid induſtria, quidquid exercitatione, vigilijs, laboribus aſſequi vnquam potui, id totum, quantumcumque eſt, quod certe perexiguum eſt, ad Academiæ Romanæ decus, & ſtudioſiſsimæ, atque ornatiſsimæ iuuentutis commodum, vtilitatemq. cõferre. Nam quemadmodum Reges, Principes, & ſi qui ſunt eiuſdem ſtudij, homines pecunioſi, a theſauris, quos e pretioſis gemmis auide collegerunt, alias, haud paulo viliores, non reijciunt; & qui habent vaſa, auro, argentoq. cælata, cryſtallinis interdum, aut vitreis vtuntur, ita Beatiſsimus Pater aliquem quoque mihi, homini non imperiſsimo, & infantiſſimo, locum eſſe voluit inter inſignes omnium doctrinarum Magiſtros, & Romanæ Academiæ Atlantes, qui cum honeſtiſsimarum artium, tum eloquẽtiæ patrocinium, peramplis inuitati præmijs, ſuſceperunt. Equidem arbitror non potuiſſe me illius muneris,

xv. Kal. Febr. M.D.XCI.

quod ſummi Pontificis permiſſu, nonnullorum rogatione, ſed mul
to magis ſponte mea, ſuſcepi, initia melius ponere, quam in gra-
tiarum actione, nec ab vllis alijs initijs laborum, quos vltro ſubitu-
rus ſum, euentum ſperare feliciorem. Nam, quæ a Deo proficiſcũ-
tur beneficia, ea vberiora multo, & pleniora redeunt, cum eidem,
qui contulit, habitis gratijs, referuntur accepta. Vt enim ingratis
non modo benefacta cito elabuntur, & pereunt, ſed etiam omnis
ſpes futurorum adimitur, ſic qui ſe gratos, ac memores oſtendunt,
& acceptorum fructu diuturno beneficiorum aluntur, & amplio-
rum exſpectatione ſuſtentantur. Inuitatur diuina benignitas, vt
ſeſe largius effundat, cum, quod officium a nobis requirit, liben-
ter præſtari videt. Requirit autem non aliquid immodicum, non
laborioſum, non graue, non moleſtum (qui enim poteſt, cum eius
etiam iugum ſuaue ſit?) ſed quod ſitum eſt in noſtra poteſtate;
quod fieri ſemper debet; quod incredibilem iucunditatem affert.
Nimirũ, vt ipſius memoriam numquam intermittamus; gratiſsi-
mo animo, quæ dat, beneficia accipiamus; pro acceptis immor-
tales gratias habeamus; ipſiusq. laudes aſsidue prædicemus. His
ergo tot, ac tantis nominibus adductus, Excellẽtiſsime Princeps,
quod omnes boni priuatim, vt arbitror, publice, quod ſciam, ne-
mo fecit, nõ alienum a meis rationibus, & inſtitutis duxi, gratias,
ex illo publico loco, illi agere, qui vnam a nobis potiſsimum grati
animi ſignificationem expectat; & cum datur, quamquam iure de-
betur, nec quidquam aliud noſtra perficere poteſt imbecillitas,
collatis tamen maioribus beneficijs, oſtendit eam ſibi fuiſſe gratiſ
1. obiectio. ſimam. At res illa tanta, tam difficilis, tam honorifica, non fuit no
ſtrarum uirium, non ingenij, non loci: neque fortaſſe cuiuſquam;
2. obiectio. tantum abeſt, vt in ea ipſe me iactem. Flagitabat illa perſona vi-
rum multo digniorem: per me non ſtetit, nec ſtabit vnquam, quo
3. obiectio. minus illam ſuſcipiat, qui, aut digniſsimus ſit, aut ipſe ſe putet. At
argumentum de induſtria quæſitum; non peculiari noſtro mune-
re, non vlla neceſsitate expreſſum: quo igitur magis voluntariũ,
magiſq. liberum, eo laudabilius officium; & quo minus expecta-
4. obiectio. tum, eo iucundius, & aptius ad beneficia promerenda. Denique ſi
quis neget omnino partes illas noſtras fuiſſe, non repugnabo, mo-
do concedat, ei a me gratias eſſe actas, qui ex ore infantium, atque
lactentium perficere ſibi laudem conſueſcit. Hoc ingenij noſtri
monumentum, qualecumque ſit, vel, vt verius dicam, eximiæ erga
Clementem VIII. reuerentiæ teſtimonium, tibi, excellentiſsime
Dux, dicatum, cum clariſsimi nominis tui inſcriptione diuulgare
decreui, iuſtis quidem de cauſsis, grauibus, neceſſarijs. Primũ enim

eius

eius Regis legatus es,qui Eccleſiam Romanam tanti facit,vt eam vitæ anteponat ſuæ: ex eius incommodis tantam ſollicitudinem capit,vt,modo illis medeatur,nullis ſumptibus parcat; nulla pericula refugiat; nullas hoſtium inſidias, nullum prælij diſcrimen, nullam capitis,honoris,regnorum, fortunarum omnium dimicationem pertimeſcat. Hinc maria claſsibus complentur; hinc grauiſsima bella ſuſcipiuntur; hinc ingentes theſauri profunduntur; hinc nouis ſemper delectibus exinanitur Hiſpania, dum & vicinis gentibus,& remotiſsimis, ſæpe etiam non amiciſsimis contra catholicæ fidei hoſtes mittuntur auxilia; dum chriſtiana Religio ab iniurijs impiorum, impetuq, defenditur, atque in omnes regiones, parteſq. terrarum propagatur; dum in orientis, & obeuntis ſolis,Aquilonis,Auſtriq. vltimis oris Eccleſiæ Romanæ ſigna defiguntur. Rurſus cum illi ſit vtilitatis aliqua,exiſtimationis,honoris,laudis acceſsio,tantam inde iucunditatem percipit; tanta lætitia exultat,quantam vix quiſquam oratione conſequatur. Teſtis eſt,vt alia multa prætermittam,noua, & ſplendidiſsima ad ſanctiſſimum D. N. Clementem VIII.legatio: teſtis Illuſtriſsimus,& Excellentiſsimus Legatus,Laurentius Suarez de Figueroa, Dux Feriæ: teſtis oratio omni officij,gratulationis,obſequij, laudum genere plena,quam ad Sanctiſsimum Patrem diſertus,& nobilis orator habuit. Vt mihi perſuaderi ſinam,hanc noſtram, ſi in optimi, & potentiſsimi Regis manus peruenerit,futuram non iniucũdam, quod,etſi elegantia,grauitate,magnitudine rerum, & auctoritate maxime diſpar ſit, aliquam tamen illius ſimilitudinem, & ſpeciem,ſolius argumenti beneficio,gerat.Tibi vero eundem eſſe ſenſum,eandem in ſedem Apoſtolicam propenſionem voluntatis,præter vitam innocenter actam,& pro Dei Eccleſia labores, maxima cum laude, ſuſceptos,ea,quam a Rege Philippo impoſitam tanta cum dignitate ſuſtines,perſona declarat. Itaque cum hæc oratio aliquot ex innumeris, noui Pontificis laudes, non expreſſas illas quidem,& ſuis coloribus depictas,ſed,rudi penicillo,tantũ adumbratas,complectatur;& in eo loco habita ſit, in quo optimarũ artium ſtudia coluntur,eam tibi iure vendicas, & apud Pontificem Maximum Regis Catholici legatus, & ſupra communem nonnullorum Principum cõſuetudinem, liberalibus diſciplinis excultus. Nam ad generis tui claritatem plane regiam, ad maiorum tuorũ decora militaria, reſq. geſtas, in ore poſteritatis perpetuo victuras,ad ditionem ampliſsimam,& quod omnium eſt caput, ad humaniſsimos,& ſuauiſsimos mores,cum omniũ præſidia virtutum, tum immortalem litterarum ſplendorem,& ingenij gloriam adiecisti.

ciſti. Quod ſi, qui tuum iſtud conſilium, vere generoſum, & inſtitutionem vitæ admirantur, imitari contenderent; & qui tuam felicitatem tibi, qua haud ſcio, an vlla in terris alia maior ſit, & diuturnior, inuident (optima quæque cibus inuidiæ) ſibi tecum communem, æmulando, facerent, celebritatem nominis, & famæ apud omnem poſteritatem compararent. Eſſet præterea honeſtiſſima doctorum hominum conditio, quorum ſcriptis præclaræ, & cum publica vtilitate coniunctę ab interitu vindicantur actiones: ea caperent præmia, quæ illorum laboribus, & vigilijs, atque lucubrationibus deberi fatentur omnes, perſoluit fere nemo; haberent aliquando tandem præſidia certiſsima periculis, honoribus adiumenta, quietem, & otium ſenectuti. Quid alijs contigerit, ipſi ijdem viderint; me quidem, vix de facie notum, & in obſcuro latentem, facultatis, neſcio, cuius, quam in me numquam agnoui, opinione motus, eruere, e tenebris, & in tuam familiam, litteris, & nobilitatem clariſsimam, aſciſcere voluiſti. Quæ res tam opportune cecidit, vt nunc renaſci demum, ac viuere videar; putemq. omnes meas, ſi quæ ſunt, in tuto poſitas eſſe fortunas. Nũc, nunc exorior; nunc mihi reddita vox eſt; nunc priſtina alacritas reſtituta; nunc veterem vitæ meæ conſuetudinem, quæ iam diu intercluſa fuerat, apertam ſentio. Inter vetuſtiſsima Thebanorum monumenta legimus fuiſſe quandam Memnonis ſtatuam, tam admirabili confectam artificio, vt tunc in voces humanas prorumperet, cum orientis ſolis fulgentibus radijs, ad quos erat conuerſa, feriretur. Sextus nunc menſis eſt ab interitu Iohannis Cardinalis de Mendoza, Mecænatis mei, omnibus, quæ in illam perſonam cadere poſſunt, ornamentis nobiliſsimi. Quo toto tempore, inſolito vſus ſilentio, nullum ſpecimen ingenij, vt antea, nullam ſignificationem alicuius doctrinæ dedi. Quomodo enim poteram, cum extinctus eſſet, qui mihi Romæ ſol primus fulſerat; qui me, quaſi inanimum animarat; mutum vocalem fecerat. Nondum tuus mihi, ſtatua taciturniori, exortus erat; nondum tuæ liberalitatis, qua nobilium artium ſtudia ſæpiſsime illuſtraſti, & doctorũ hominum ingenia ad illa eadem recolenda vehementer concitaſti, mihi, in tenebris iacenti, prælatum lumen. At quo me primum die hæſitantem, dubitantem, multa aduerſa, haud inani metu, reuertentem, benigniſsime complexus es, & inter tuos adnumeraſti, Deus, vt eſt in ueteri prouerbio, ex improuiſo apparuiſti; reſq. meas peſsime affectas, ac nutantes confirmaſti; mentem anxiam, atque ſolicitam a moleſtiſsimis curis ad iucundas cogitationes, & honorificas traduxiſti. Vides iam, Excellentiſsime Dux, me non

Lud Viues. in ſymb.

leuibus

leuibus cauſsis, ſed grauibus, non a propoſito alienis, ſed cum re ipſa congruentibus, non aliunde petitis, ſed domi quaſi natis, compulſum, ad id conſilij deſcendiſſe, vt hanc tibi orationem, velut nouam, & poſt diuturnum ſilentium, primam vocem offerrē. Nunc vero reſtat, vt, quando mihi, velut ſalutaris quidam Sol illucere cæpiſti, illucere numquam deſinas: nam vt debeas, a noſtra humilitate ſperandum non eſt; vt quam diutiſsime poſsis, ab eo, ad quem omnia tua dicta, facta, cogitata referuntur, aſsiduis, & vehementiſsimis precibus contendemus. X. Kal. Iul. M. D. XCII.

VINCENTII BLASII GARCIÆ VALENTINI AD

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. S. R.

Eccleſiæ Cardinales oratio, qua Deo gratias agit pro nouo Pontifice, Clemente octauo, habita in Academia Romana. xvij. Kal. Iulij, anno M. D. XCII.

Verſa, & mutata omnia in melius.

IS tandem, Cardinales Illuſtriſsimi, Clemente VIII. ad ſupremum, & cælo proximum dignitatis culmen, veſtris ſuffragijs, eucto, dies illuxit, qui Rempub. Chriſtianam, varijs calamitatibus, ijſdemq́. grauiſsimis fractam, & grauiorum etiam timore perculſam, recreauit, & ad ſpem erexit nō modo conſeruandæ ſalutis, ſed

Petri Nauicula.

recuperandæ priſtinæ dignitatis. Petri Nauicula, quaſi iam emerſerit è vadis, & ſcopulos, luctuoſis rerum chariſsimarum naufragijs notiſsimos, præteruecta ſit, in eum ſe, breui, portum inuehi poſſe confidit, vbi vectores, omnium expertes malorum, omni bono-

Vectores.

rum copia, cum maxima iucunditate perfruantur. Vectores ipſi, tam multis, tam magnis, tam metuendis circumuenti periculis, vt, triſtiſsimis curis anxij, ſpe nimis exigua penderent, cum ad labores nauigationis impigrum, ad procellarum vim fortem, ad vſum, & diſciplinam peritiſsimum, ad conſilia prudentiſsimum, Gubernatorem conſiderant, ſecundiſsimum curſum; cum inte-

Ætas Pontificis pęne florens.

gram eius ætatem, validam, ac pœne florentem perpendunt, non duorum, vt antea, aut decem menſium, ſed maxime diuturnam ſi-

Artes liberales.

bi tranquillitatem maris pollicentur. Quid Artes beneuiuendi, recteq́. ſentiendi magiſtræ, & duces optimæ, quæ multiplicatis ſummorum Pontificum funeribus, & creberrima ſtudiorum intermiſsione obſcuratæ, & quodammodo extinctæ videbantur? Illæ quidem reuocari in lucem, ſqualorem, & ſordes, quibus præcellens earum dignitas deformata fuerat, ita excutere cœperunt, vt parum ab futuræ ſint a priſtino ſuo, veroq́. nitore, ſi Pater Sanctiſſimus ſtudij ſui, liberalitatis, & munificentiæ paulo propius lumen

Spes de Clemēte VIII.

admouerit. Id illum, pro incredibili exſpectatione populi Chriſtiani, pro acerrimo ſuo generis humani iuuandi deſiderio, pro

perſonæ,